

Q. F. S. F. Q.  
DISSERTATIO HISTORICA  
DE  
**STATU**  
**LITTERARUM**  
ANTIQUO ET HODIERNO  
IN  
IMPERIO ROSSICO,

---

CUJUS PARTEM PRIMAM,  
*Consent. Ampliss. Facult. Philos. in Reg. ad Auram Acad.*

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE  
**BILMARK,**

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.  
nec non Facult. Phil. h. t. DECANO,

*Publico bonorum examini modeste submittit*  
AUCTOR & RESPONDENS

**ANDREAS NESSIN,**

ROSSIA - WIBURGENSIS.

IN AUDIT. SUPER. DIE XVIII. DEC. A. MDCCCLXVII.  
Horis ante meridiem solitis.

---

ABOÆ Impress. in Typographia ad Regiam Academiam.

A SON EXCELLENCE,  
MONSEIGNEUR

PIERRE  
ALEXIEWITSCH  
DE STUPISCHIN,

GENERAL - MAJOR DES ARMÉES DE SA MAJE-  
STÉ IMPERIALE DE TOUTES LES RUSSIES,  
COMMANDANT SUPERIEUR DE LA VILLE  
DE VIBOURG,  
ET CHEVALIER DE L' ORDRE DE  
SAINTE - ANNE.

MONSEIGNEUR.

Agreez, je VOUS en supplie, que je VOUS  
présente par ce peu de lignes les premices de  
mes travaux Academiques, que je vais mettre au  
jour; & souffrez en même tems, que je leur fas-  
se

se emprunter la lueur, ou l'éclat, qui leur manque, chez celui, qui brille avec tant de splendeur dans toutes les nobles actions de VOTRE EXCELLENCE. La Grace particulière, dont VOUS m'honorates MONSEIGNEUR, pendant le tems que j'avais le bonheur d'instruire Messieurs VOS très chers Fils sur les points, qui me furent commis, & tant d'autres bienfaits, dont VOUS m'avez comblé, me promettent aussi dans cette occasion un favorable pardon à ma temerité. Et pourquoi devrois je manquer de courage? Sachant, que VOTRE EXCELLENCE a non seulement montré tant de faveur envers tous ceux, qui cultivent les arts & les sciences; mais qu'ELLE trouve même un très grand plaisir dans les études. Je donne enfin au jour la premiere partie de ma Dissertation, où je m'attache de developper principalement le vieil état des Lettres dans notre Patrie jusqu'à la mort de l'Empereur PIERRE le GRAND; ouvrage, qui certainement ne repond en rien au grand Esprit de VOTRE EXCELLENCE; mais lequel j'ai voulu qu'il fut une marque de la profonde vénération, avec laquelle je me ferai gloire d'être toute ma vie

## DE VOTRE EXCELLENCE

le très humble & très soumis  
Serviteur  
ANDRÉ NESSIN.

VIRO MAXIME REVERENDO atque AMPLISSIMO,  
**DN. MAGNO ALOPÆO,**  
ARCHI-PREPOSITO per Careliam, quæ Rossorum Scheptro paret,  
Celeberrimo, Consistorii Wiburgensis PRAESIDI gravissimo,  
Ecclesiarum Suethicæ & Fennicæ, quæ ibidem & in Cackis DEO  
colliguntur, ANTISTITI vigilansissimo, Scholarumque  
per Dioecesin EPHORO accuratissimo,


MAECENATI MAGNO.

AMPLISSIMO atque CONSULTISSIMO VIRO,  
**DN. NICOLAO JÆNISCH,**  
Justiciæ CONSUL in Civitate Wiburgensi dignissimo, æquissimo,  
PATRQNO OPTIMO.

PRECLARISSIMO atque PERCELEBRI DOMINO,  
**Mag. JOHANNI STRÅHLMAN,**  
RECTORI Scholæ Cæsareæ Cathedralis Wiburgensis dexterrimo,  
Consistorii ibidem ADSESSORI gravissimo, PRAECEPTORI ut  
ante hac fidelissimo, ita nunc  
FAUTORI PROPENSISSIMO.

**M**eletema hoc Academicum in animi ob beneficia  
in semet paternamque domum nullo non tempore  
collata, nec non ob favorem singularem sibi præstatum,  
gratissimi tesseram & nunquam intermorituræ obser-  
vantia signum, dat, dicat, dedicat

Ejusdem  
**AUCTOR.**



## §. I.



Quemadmodum Cimmerios populos ceteris infeliores existimarent Veteres, quod diuturnis involuti tenebris, præstantissimis organis, oculos intelligo, nonnisi per exiguum anni tempus commode uti possent; ita nos merito illorum dolemus fortē, qui ignorantiae caligine obducti verum a falso & bonum a malo discernere non valent. Talem nobis fistimus hominum conditionem, qui a consortio aliorum remoti, sibique ipsis relicti in statu vivunt naturali; quippe quorum intellectus admodum est obscuratus, adeo ut quid quisque in casu particulari statuere debeat, quid su'ciperet quidve omittere ipsi conveniat, raro, nisi eximia naturæ bonitate prædictus fuerit, & quidem tunc non sine ancipiū cu-

A

ra,

ra, animadvertisat. Ignorant igitur homines, in hoc statu constituti, tum qua ratione felicitatem suam promovere debeant, tum etiam quibus modis ingruentia forte pericula valide propulsare queant. Utriusque administricula in statu civili invenerunt. Sed sicut magna quævis non nisi lenta spei molimine perficiuntur; ita nec artes & scientiae, quæ naturales microcosmi tenebras dissipant, protinus splendorem suum exserere potuerunt. Interim tamen saniores Politici de eo fuerunt convicti, quod proba eruditio ne nihil melius, nihil accommodarius esset ad bonos mores in civitate promovendos; quorum cultura simul justitia, pietas in patriam, concordia, beneficentia, aliæque virtutes in tranquillitatem publicam & gloriam gentis sensim invalescunt: quamobrem nullis vel curis vel sumtibus pepercerunt, ut litteris gratum apud se præberent asylum, earumque incrementa, quantum penes ipsos fuit, procurarent. Qui igitur studia litterarum vel plane inutilia crepant & ad Garamantas usque proscribenda volunt, quæ CORNE. LII AGRIPPÆ fuit sententia, vel eadem ad corrupti onem morum contulisse sibi aliisque persuadent, quo in stadio non sine applausu, sed immerito, versatus fuit D:rus ROUSSEAU, Civis Genevensis, ita suum ostenderunt ingenii acumen, ut propter ejus abusum læsa humanitatis postulari queant. Clament igitur, quantum velint & possint, barbarie patroni, iporum frivolis ratiunculis fidam opponimus experientiam. Comparemus itaque illas orbis nationes, in quibus litteræ florent cum illis, quæ horridum ignorantiae squalorem

non-

nondum eluctari potuerunt, ubinam, quæso, major humanitas, major commoditas ac felicitas? Nec est, quod quis nobis opponat exempla Lacedæmoniorum, qui ex præceptis LYCURGI artes in suam civitatem non admiserunt, aut Romanorum veterum; verum enim est, quod hi populi tantum neglexerint disciplinas abstractas, curiosas & quarum in vita communī immediatus nullus esset usus, qui tamen, præsertim Romani, disciplinas practicas, Philosophiam Moralem, Jurisprudentiam, Eloquentiam & Artem Militarem majori, quam forte apud Nos, studio excoluerunt.

## §. II.

Qui necessitatē litterarum in republica concesserit, dubitare tamen forte potest, an earum cultura cuivis formæ regiminis conveniat, vel numne consultius foret, Musas, capita exserentes, in quibusdam imperiis opprimere, quam eos benefico fovere sinu. Præcipuum negotium Eruditis facessere solet Status absolute Monarchicus, seu ea regiminis forma, in qua summum imperium ita residet penes unum, ut nullis legibus fundamentalibus in ejusdem exercitio teneatur, sed voluntas & nutus ejus pro legibus subditorum habentur. Sibi enim persuadent multi, quod tranquillitas publica & securitas Despotæ firmissime sit constituta, dum cives litteras ne quidem primoribus degustarunt labris, sed ita confunduntur, ut quam minimam iurium humanorum habeant cognitionem; quippe qui si de origine & natura imperiorum, de officiis hinc flu-

entibus, de propria præstantia, & aliis similibus mo-  
mentis essent convicti, ægre admodum jugum servi-  
tutis, ita hunc statum nuncupare non dubitant, fer-  
rent. Enimvero qui talia adserunt, minus accurate  
suos subducere calculos, nobis videntur. Notum enim  
est, imperia in hunc ferme modum orta fuisse, ut,  
quam Patresfamiliarum animadverterent, se maleferia-  
torum moliminiibus non suffecturos, vel uni Principi,  
vel integro cuidam consilio arbitria sua detulerint; ita  
ut quicquid ille vel hujus membra statuerent, firmum  
esset ratumque. Tunc etiam quidam de Principis  
sui dexteritate & benignitate convicti, huic se subdi-  
derunt, tacito saltem hoc pacto, quod nihil ageret aut  
moliretur, quo detrimentum civitati re ipsa adferret.  
Hinc ortum est imperium absolute Monarchicum,  
vel, ut vocatur, Despoticum. Scire autem debent ci-  
vies tam in hoc, quam in ceteris Regnis, quod Ma-  
jestas sit Palladium & beneficium munus ab Optimō  
Numine concessum; quod DEus ipse illius curam a-  
gat specialem; quod a civibus exigit, ut obedientiam  
Principi præsent, & quod tergiversantes pœnæ ma-  
neant certissimæ. Sed ut de his præceptis mature  
ac solide convincantur, necessariæ sunt disciplinæ,  
quæ ista tradunt, adeoque Monarcha earumdem pro-  
movebit culturam. Scire ulterius debent incolæ offi-  
cia, quæ tam Principi, quam sibi invicem, ne forte  
existant collisiones, debent: Scire etiam illis incumbit  
varia adminicula, quibus felicitatem ac commodita-  
tem suam promovere possint; sed nisi in his negotiis  
facem illis præferant disciplinæ, in ignorantia tene-  
bris

bris ac misericordia lato perpetuo & sine spe emer-  
gendi habebunt. Prudentia etiam cum præcipua  
imperantium sit virtus; certe studia litterarum, com-  
modissimum ejusdem acquirendi instrumentum, iisdem  
subtrahi nullo modo debent. Ex præclaris enim libris  
Principes addiscere possunt veritatem rerum & nego-  
tiorum, quam Ministri plerumque occultant. Jura deni-  
que Majestatica, quæ concernunt pacem, bellum, Eccle-  
siam, & alias res magni momenti, absque præsidio littera-  
rum rite non possunt exerceri. Nolo plures, quæ tamen  
adferri possent, nunc adducere rationes; obturandus  
potius est fons, ex quo contraria opinio propulliat.  
Scilicet plerique sibi proponunt imperium absolute  
Monarchicum, ut abusum quendam Majestatis, faci-  
lesque credunt, eum, qui illimitata gaudet potestate,  
eadem in perniciem subditorum fore usurum. Verum  
nihil impedit, quo minus Despota benigne se in im-  
perio gerat, docetque experientia etiam domestica,  
quod deliciae generis humani tales fuerint Principes,  
qui commoda civium tanto magis & lubentius pro-  
moverunt, quo pauciora illorum potentia ac bene-  
merendi studio objici potuerint impedimenta. Immo  
hac potissimum ratione securitatem & tranquillitatem  
suam promovebit Despota; probe gnarus, quod me-  
tus sit fallax ad perpetuitatem custos.

## §. III.

Quum itaque litterarum tanta, quantum modo  
sed per transennam vidimus, sit præstantia; quum et-  
iam ingenuæ Musæ nihil proponant, quod in frau-

dem Principum & detrimentum civium vergeret, sed plurima exhibeant momenta, quæ civitates confirmarent; Principes quoque, veri Patriæ suæ Patres, de studiis litterarum & artibus promovendis nullo non tempore fuerunt solliciti. Quamobrem Scholas, Gymnasia & Academias, Sapientiæ delubra, veritatis templæ atque reipublicæ ornamenta, intra imperiorum suorum pomœria curarunt erigenda, Doctoresque constituerunt publicos, qui juventutem ad veram solidamque doctrinam manuducerent; quibus etiam, ne in obscuro torpescerent pulvere, minerval liberaliter concesserunt, quo vitam sustentare possent. In ingeniiorum officinis modo memoratis eadem disciplinæ ad præscriptam methodum proponuntur; siquidem juvenes paris ætatis æqualium utcumque esse soleant progressuum. Ex his quoque palæstris emittuntur quotannis coloniæ juvenum & ingenio & moribus probatorum, qui gratæ Patriæ gratam offerunt operam, Principisque munificentia, demandata sibi munera gnaviter administrando, se indignos non fuisse ostendunt. Præter has autem Academias recentiori ævo publica auctoritate institutæ fuerunt Academiæ ita dictæ Scientiarum, quæ nihil aliud sunt, quam collegia Eruditorum, quæ divisa inter plures, sed communi consilio agentes, opera perficiendis, propagandisque & applicandis ad usum scientiis pro cuiusque disciplinæ genio seriam constantemque curam impendunt. Cum enim Professoribus Academiarum ordinariarum, quippe in juventute instituenda quotidie occupatis, raro tantum suppeteret otii, quantum

tum requirebatur ad litterarum pomœria promoven-  
da, & ob infinitam rerum in disciplinis omnibus mul-  
titudinem eacumque diversitatem unus non sufficeret  
omnibus, sed scientiarum cultura commune consi-  
lium postulet; cumque alii passim invenirentur Vi-  
ri, cogitandi vi atque inveniendi dexteritate eximii;  
Principibus plerisque visum fuit, Viros eruditione per  
orbem clarissimos invitare, ut quisque eorum ad in-  
crementum ejus disciplinæ, quam in deliciis præci-  
pue haberet, symbolam quotannis conferret. Alii i-  
terum proprio instinctu, vel amore ducti in patriam sin-  
cero, hunc in fine n coiverunt. Ita Societates quædam  
litterariæ, eademque superioris omnino subfelliæ fue-  
runt institutæ, quæ Academiæ Scientiarum plerum-  
que dicuntur. Harum Professores vel potius Mem-  
bra non in certo quodam loco commorari tenentur,  
sed per totum nonnunquam orbem sunt dispersi; non  
juventuti laborum ac sudorum libamina præcise de-  
vovent, sed totum genus nostrum illustrant atque ju-  
vant; rarissime principia tradunt, sed quicquid in lu-  
cem publicam editum fuit, fundamenti loco in suis  
dogmatibus tradendis proponere solent; raro (a) de-  
nique stipendia suis merentur lucubrationibus, sed a  
gloria exspectant, quæ abunde meruerunt, præmia.  
Quisque autem facile animadvertisit, quod si singula  
hæc instituta in civitate conjungantur, adminicula  
habituri sint homines, quibus ad altiores altioresque  
cognitionis gradus inoffenso pede pervenire datur.  
Cum itaque gratia Augustissimorum Rossiæ IMPERA-  
TORUM talia quoque instituta litteraria per imperium  
ad-

adornata sint & hodie imprimis florent; nobis de materia quadam dissertationis in lucem edendæ publicam, cogitantibus arrisit illa, nec sine jure, qua Statum litterarum in alma Patria antiquum & hodiernum delineare conabimur. Campum quidem ingressi sumus talem, cui percurrento etiam eruditissimus quisque vix ac ne vix quidem sufficeret; sed Tua, L. B. magnanimitate freti hanc provinciam, semel in nos suscepit, in sequentibus, utinam non invita Minerva, sustinere conabimur. Dum vero hoc agimus, Tuo L. B. favori nos majorem in modum commendamus, & quo par est, verborum honore rogamus, velis primas hasce lineas faciei litterarum in Rossia benigniori perstringere censura.

(a) Constat enim inter alia Academiam, que Petropoli floret, Scientiarum eo ab aliis bene multis differre, quod Professores ejus publicis sustententur impensis & ex arario imperii certum quoddam illis porrigitur stipendum, quo vitæ suæ commodis honorifice prospicere valent. Caussam hujus rei si quis querat, eam in primis inveniet: quod, cum Imperator glorioissime memoria PETRUS MAGNUS, hanc instituendam curans, Viros per imperium suum eruditos, quibus munera hæc offerset, tunc temporis non invenerit, coactus esset, tales ab exteris oris accessere. Hi vero, quum ob gloriam solam, quam laboribus suis sibi acquirerent, ad munera hæc obeunda nullo modo persuaderi possent, lauta illis concessit salario.

#### §. IV.

Inter Europæ regna sive situm inde ab oriente respiciamus, sive amplitudinem terrarum spectemus, si-

five denique fertilitatem soli consideremus, locum sibi facile primum hodie vindicat Imperium Rossicum; quod quidem olim in tot fere minora regna fuit divisum, quot nunc numerantur majores provinciæ. Status ejusdem tunc temporis talis erat, qualem deprehendimus multarum aliarum per Europam terrarum olim fuisse: scilicet Principes qui-que, felicitatem publicam in armis & triumphis ponentes, magis de eo solliciti fuisse videntur, quomo<sup>d</sup> vicinos opprimerent, ac pomœria ditionum suarum extenderent, quam ut internam augerent tranquillitatem. Ad hos bellorum fragores exhortuerunt Musæ, publicæ felicitatis & securitatis filiæ; quare etiam in civitatem Rossicam tardius fuerunt admissæ. Verosimile quidem a nonnullis putatur, Rossos, si non omnes, magnam tamen illorum partem, antiquissimis temporibus, litteras Scythicas seu Gothicas usurpasse; quippe quum Gothis etiam suas ex Asia scientias habuerint, & Moschi, quorum progeniem hodiernæ Rossicæ incolas esse quidam statuunt, medium terram incolentes, ac s<sup>æ</sup>pissime varia belli fortuna cum Gothis pugnantes, non potuerint non litteras easdem addiscere (a). Sed cum adsertio hæc nuda conjectura sit; ideo etiam nos hanc controversiam in medio relinquimus. Eodem quoque modo res sese habet cum illis Scriptoribus, qui linguæ Germanicæ usum ante tempora Alexandri M. jam in Rossia invaluisse admodum contendunt. Horum in numero est SCHOTTE-LIUS in libro von der Teutschen Haupt-Sprache

c. 8. p. 132. provocans ad GESNERUM. Conradus,  
 inquit, GESNERUS in præfat. Diction. Jos. Pistorii, Moscovitarum linguam, ante Græcorum Monarchiam, Germanicam fuisse scribit, idque ex ipsius nominis, provinciarum & fluminum etymologia probat. Moscovia, inquit, dicitur das Mosgow cum paludosa & lacustris tota sit. Inde Plescovia, das Blæsgow, a nuditate terræ circa Livones: Litou, Lithuania der Leute Rue, a populi multitudine: Kiovia, Kuvow, a vaccarum pascuis: Smalenskov, das Schmalzgow: Novogardia, der Neugart, id est, nova civitas, & alia multa, quæ legi possunt apud auctorem. vid. etiam Mithridatem Gesneri p. 61. (b). Etyma vero hæcce regionum & urbium per ingenii luxuriam ficta & detorta esse, nemio, vel me tacente, non videt. Præterea cum FABER ipse, qui tamen Germanus erat, & vel hanc ob eaussam patriæ suæ laudem illam & honorem vindicasset, sententiam hanc omni studio refutare conetur, quis quæso miretur, si nec nos calculum illi addere nostrum possimus? Moscovia quippe nomen suum traxit ab urbe Moscua, quæ seculo primum XII exstructa est, & hæc iterum a fluvio Mosqua, urbem hanc præterfluentem: ideoque ad vetustissima illa tempora non erit recurrentum. Idem quoque valet de Plescovia; & si Celeb. GESNERO innotuisset, civitatem hanc a Rossis proprio idiomate vocari Pskov, omnes excutere loculos necessum habuisset, ut etymon aliquod hujus vocis, Germanicam redolens originem, proculderet. Lithuanorum nomen novum plane esse &

& ante annum N. C. MCC ferme incognitum dicitur. Kiovia, antiquissima illa Rossiae civitas, non a vaccarum paseuis sic nominatur, sed a Principe quodam KIEW, qui sui in memoriam illam extrudendam curavit. Oppidum sequens non Smalenskov, sed Smolensko scribitur & pronunciat; quamobrem derivationem vocis hujus a Schmalzgew absurdam omnino esse, quilibet perspicit. Quod ad Novogardiam attinet, nec a Neugart, nec etiam a Nygård derivatur, sed in lingua Rossica suum agnoscit ortum; descendit namque a *novoi*, nova & grad, *gorod*, civitas, sicque vocatur in relatione ad *Aldejoburgum*, quæ urbs metropolis primorum Rossiae Principum fuit. Eversis sic etymologiis GESNERI, ipsum etiam corruit argumentum. Omissis vero temporibus hisce obscurioribus, de quibus in utramque partem disputari potest, ad periodum illam nos convertimus, in qua ipsi annales nostri præsto sunt, dictisque lucem affundunt. Sicut Evangelium, ubi suos diffundere cœpit radios, non solum anxias superstitionum nebulas dissipat, verum etiam homines ad utilissimas quasvis scientias colendas sensim invitat; ita nullum est dubium, quin simul cum Græca religione, in Rossiae imperium introducta, Scientiæ quædam ab advenientibus Episcopis ac Sacerdotibus fuerint propagatae: quibus egregii nostri Principes auxiliatrices manus haud difficulter porrexerunt. Si THEODOSIO, Abbatii Kiovieni, fidem, uti certe par est, habeamus, duo fratres germani METHODIUS atque CONSTANTINUS (c)

Constantinopoli evocati, Sæculo IX ad finem ver-  
gente, jussu Imperatoris Græcorum MICHAËLIS (*d*)  
non solum Slavis Evangelium lingua Slavonica an-  
nunciarunt; sed etiam artem scribendi illos docue-  
runt. CONSTANTINO vero domum paulo post  
reverso, METHODIUS a Principe KOZEL Episco-  
pus creatus, associatis sibi duobus Sacerdotibus, qui  
scribendi artem optime callebant, omnes libros Sa-  
eri Codicis ex Græca in Slavonicam transtulit lin-  
guam, idque spatio dimidii anni (*e*). Conditiones,  
quibus Rossiaæ Princeps IGOR cum Imperatoribus  
Constantinopolitanis, ROMANO, CONSTANTINO  
& STEPHANO, amicitiam pacemque initam confir-  
mavit, commodaque, quæ Noster inde ceperat, cer-  
tissimum sunt testimonium, Ruthenos eo jam tempore  
scribendi artis scientiarumque fuisse haud imperi-  
tos (*f*). De HELENA, Rossorum Regis WALDEMARI  
I avia, constat, quod Constantinopoli reversa, lega-  
tis Anno CMLIX ad Imperatorem Romano-Germa-  
nicum OTTONEM M. expeditis, consensu Pro-  
cerum suorum sinceros Evangelii Doctores sibi mit-  
ti vehementer postulaverit. Precibus tam æquis  
tamque piis annuit quoque mox Imperator, pri-  
mumque Rossorum Episcopum designavit Mona-  
chum Cœnobii St. Albanii Moguntiæ, LIBUTIUM,  
ab Episcopo ADALDAGO ad illud ordinatum. Hic  
autem quum diem prius obiisset supremum, quam  
suum aggredi posset munus, ejus loco ADALBER-  
TUS, Monachus monasterii St. Maximini Trevi-  
rensis, missus est; qui tamen cum arrogantius sefe-  
gere.

gereret, in indignationem Rossorum incidit, infestisque rebus Germaniam brevi post repetere fuit coactus, ubi primus Archi-Episcopus Magdeburgen-sis constitutus est (g). Præter hunc, sæculo sequenti, annales mentionem quoque faciunt Comitis cuiusdam Querfurtensis BRUNONIS, qui a Præfule Romano, ad quem Romanam sese contulerat, ob insignem illius zelum mittebatur in Borussiam & ad Rossorum varias gentes nondum Christianas, ut veram religionem inter illas propagaret, a quibus vero An. MVIII. interfactus est. Huic successit alias ex Germanis Episcopus, nempe Colbergensis ex Pomerania REINBERNUS, de cuius meritis in Rossiam agit Ditmarus L. 7. p. 417. (h). Notandus quoque est RODOLPHUS quidam, natione Westro-Gothus, qui cum æque ac ceteri modo memorati in extirpando cultu idololatrico non solum per Finlandiam & Livonię, sed etiam per reliquas vicinas Rossiae provincias fuerint occupati; credere par est, quod de litteris apud Nos promovendis fuerint solicii (i). OLAVUS TRYGGWONIDES a piratis Esthonicis in captivitatem abductus & ab avunculo suo iterum in libertatem restitutus, in aula supra memorati Regis WALDEMARII MAGNI educationem tanto Principe dignam natus est (k). Quod certe clarissime indicat, studia Litterarum ex Græcia una cum religione, qua Rex proxime nominatus se initiari passus est, in Rossiam sensim migrasse. Deinde OLAVUM, Constantinopoli reversum, virum eruditio-nis fama clarum, nomine

PAULLUM inde secum duxisse, fertur (*l*); quem  
 una cum religionis novæ promovendæ cura etiam  
 litterarum notitiam nostris propinasse, nulla super-  
 est ansa dubitandi. Magnus Rossiaæ Dux JARISLA-  
 VUS, qui circa initium saeculi XI floruit, adeo  
 litteris eruditus dicitur, ut plures libros & inpri-  
 mis Constitutionem Rossorum Ecclesiasticam ipse  
 consignaverit, atque omne, quod a militia & ca-  
 stris vacaret tempus, litteris impenderit. Idem  
 porro plures Eruditos propositis amplissimis stipen-  
 diis ad se invitavit, quibus injunxit libros Græ-  
 cos melioris notæ in Slavonicam transferre lin-  
 guam, translatosque inter cives distribuere (*m*). Quod  
 cum ita fecerit, verisimile est, quod suis auspiciis  
 auroram Litterarum per Rossiam exortam promoverit.  
 Eodem quoque Principe ad clavum imperii sedente,  
 annales nostri celebrant Monachum quendam HILA-  
 RION, qui ob singularem pietatis eruditionisque lau-  
 dem Metropolitam Kioviensis creatus fuit (*n*). Neminem  
 spero offendet, quod Eruditos per Rossiam recen-  
 sentes, hominum Sacro Ordini adscriptorum mentio-  
 nem præcipue fecerimus. Sicut enim alibi, ita etiam  
 in Rossia quondam, quantilla demum fuerit erudi-  
 tio, omnis tamen penes Monachos erat quaerenda;  
 qui tamen postea, ut dominandi ambitum & divi-  
 tiarum corradendarum studium eo melius tegerent,  
 non tam liquidam Scientiarum lympham, quam po-  
 tius nugarum & præstigiarium cœnum auditoribus  
 suis propinarunt. Hinc factum esse putamus, ut  
 Principes Rossici, litterarum amantes easque pro-  
 mo-

movere 'cupientes, spe sua diu exciderint, multaque antiquum Patriæ statum concernentia monumenta turpiter perierint. Animadvertisimus quidem in Historia Svecana, quod Svethiæ Rex MAGNUS, SMEK cognominatus, in Gardariciam miserit Philosophos quosdam, de quorum igitur munere breviter a nobis erit agendum. Scilicet quum Rex Svethiæ modo memoratus cum exercitu ad orientales pervenisset terras, feiales suos ad Principem Novogardensem GEORGIUM misit, qui duas ipsi proponerent conditiones; nempe aut ipse & cives, ejurata Græca, Romanensem reciperent Religionem, aut acie secum essent dimicaturi. Ut Legati hi majori cum successu suum absolverent munus, Philosophos se appellari voluerunt; cruenta enim ad Christum conversio, qua tunc delectabantur superborum Pontificum haud degeneres filii, maximum horum terrorem singulis injecit, adeo ut ad solum Episcopi nomen tunc multi & que horrescerent, ac Romani olim ad Hannibalis, dum portas ipsorum pulsaret. Convocabantur mox Ordines Regni, coram quibus suum negotium ac novæ religionis præstantiam majori eloquentiæ apparatu exposuerunt hi Legati, quam qui in rudes caderet milites. Nostri autem non suis defuerunt partibus, sed conditiones adeo ancipites solerti mora eluserunt; ita ostendentes, se prudentia quoque tunc valuisse<sup>(o)</sup>. Quamvis autem Bulgari, Natione quædam Slavonica, sæculo jam IX characteres litterarum, ut supra indicavimus, habuerint, qui brevi post in Rossiam pervenerunt; nihil tamen

minus hi diu, ut res quædam secretissima & majoris momenti, inter cimmelia aulica sunt servati, donec, spatio quodam temporis præterlapso, usus eorum etiam plebi innotuerit. Hoc vero facto, non ea duntaxat, quæ tunc gerebantur, verum etiam quæ a Majoribus per longam traditionem acceperant, scribi & in annales nostros referri cœperunt. Post hæc tempora, sæculo scilicet XII exstitit Historiographus quidam THEODOSIUS, Abbas cœnobii S:t. Michaëlis Kioviæ, sapissime a nobis laudatus, qui vetustissimus Rossorum Chronographus Celeber. MULLERO audit, & Chronicon imperii Rossi ab antiquissimis retro temporibus consignavit. Quod autem ipse alios fecutus fuerit, ex opere ipso, paullo accuratius perlustrato, sole clarus apparet. Quum enim inde ab adventu Waregorum in nostras oras Chronologiam suam incipiat, & continua narrationis serie Historiæ auctoritatem conciliet; profecto nisi debitum instructus fuisset subsidiis tam distincte tempus, quo foedera cum exteris olim percussa sunt, definire, nec eorum contenta nobis succincte exhibere potuisset (*p*). Primæ vero illæ Rossorum litteræ supra memoratae magnam sequenti ævo subierunt mutationem, adeo ut paucæ admodum forte nunc sint superstites. Diversæ etiam procul dubio ab his sunt indolis, quæ apud *Permenses*, qui proprium idioma & proprias habent litteras, inveniuntur, quas STEPHANUS Episcopus, qui illos ad fidem Christianam convertisse dicitur, primus introduxit, atque ob tanta merita, DEMETRIO, JOHANNIS filio imperante, in numerum Sanctorum fuit relatus (*q*). (a)

(a) Vid. REUTENFELSH Lib. de Rebus Moscoviticis pagi 202. (b) Confr. sis Dissert. Ludov. Aug. FABRI de perpetua amicitia Germanicum inter & Russicum imperium, Praeside illustr. Gottl. Sam. TREUERO, Helmstadii XI Julii 1733 in lucem edit. §. v. p. 7. seqq. ubi ejam sententiam illam GESNERI quibuscumque modis destruere ntitur. (c) Vocatur hic a JOH. PETRO KOHLIO in introd. in Hislo iam & rem litier. Stavorum recens. in Actis Erud. a. 1729. p. 508. seqq. CYRILLUS, quem una cum fratre suo germano METHODO versionis primæ S. S. Bibliorum Autorem esse liquido confirmare ntitur, eorumque & ceterorum præcipitorum Doctorum ac Slavonicæ gentis velut Apostolorum vitam e melioribus fontibus de promtam exhibuisse, ibidem indicator. Agit quoque de eo NICOL. BERGIUS in Disf. De Statu Ecclesiæ & Religionis Moscov. p. 98. Putat idem pagina antecedet: METHODIUM Moraviensis Ecclesiæ. Archiepiscopum fuisse, ad quem Johannes VIII Papa Epistolam misit. Vid. Disf. c. p. 97. (d) Quod MICHAEL PALÆOLOGUS, uti nonnulli, sed perverse admodum autumant, non fuerit, vel exinde colligi potest, quod hic Imperator creatus fuerit a. 1263 & mortuus a. 1283. Cfr. HÜBNERS Geneal. Tabell. Tom. I. Tab. 32. (e) Vid. Chronicon THEODOSIAN. in MULLERS Sammlung Russischer Geschichts Tom. I. p. m. 15. nec non HERBERSTEINI Comment: de Rebus Moscoviticis. p. m. 2. ubi Bulgaros An. m. 6406. characteres Litterarum accepisse assertit. Et licet Cel. MOLLERUS in Descriptione Esthonie & Livonie pag. 16. dicat, quod TREUERUS in pref. introd. in Hisl. Mose. annum hunc anno ætate Christianæ 1262 respondere statuat; & quod fundamenti loco ntitatur HERBERSTEINI auctoritate, immo ipse huic calculo suffragetur; tamen rite observata Chronologia, facile deprehenditur, annum a HERBERSTEINIO allatum in annum restauratæ Salutis 898 cadere. Annus quippe 6370, quo primi illi Holmgardorum Principes RURECUS, SINIUS &

& TRUVORUS ex Varegia venerunt, est annus 862, vid. *Diss. Cl. Mag. HOPPII de Regibus Holmgardicis part. prior. pag. 10. not. h.* Servata igitur eadē Chronologia, veritas assertio-  
 nis nostrae ad oculum patebit. Præterea sicut Romani veteres  
 iteratis vicibus expeditiones facientes in Graciam, inde sci-  
 entias secum abduxerunt; ita quoque Nostros sapissime varia  
 belli fortuna cum Imperatoribus Constantinopolitanis pu-  
 gnantes ab iisdem, si non aliam ob caussam, certe placamenti  
 loco, scientias pariter ac litterarum characteres accepisse,  
 non est, quod dubitemus. Et quidni hoc mature admodum  
 fieri potuisset, quum, ut ex §. seq. constabit, ipsa ars Typogra-  
 phica, quæ tamen majores requirebat impensas, majoremque  
 soleritatem, uno fere sæculo tantum post inventionem illius  
 elapso, jam in Rossiam pervenerit. Commercia denique cum  
 exteris instituta, sedera quoque cum illis inita, fatis super-  
 que indicant, Rossos eo tempore artis scribendi & scientia-  
 rum fuisse peritos. Immo ridiculum sane est statuere,  
 Nostros eo anno, cum Tattarorum jugo colla sua subdere  
 cogerentur, litteras accepisse, cum perpendere deberent hu-  
 jus sententia patroni, Tattaros omnem movisse lapidem, ut  
 humanitatem Rossi exuerent, barbariesque per totum regnum  
 ingrueret; quem in finem nunquam permiserunt, ut hi litteras  
 a Gracis acciperent. Cum itaque characteres longe ante hoc  
 tempus in Rossiam pervenerint, nec mirum erit, quod pacis  
 illud instrumentum inter OLEGUM, TutorēM IGORIS & Im-  
 peratores Constantinopolitanos, LEONEM & ALEXAN-  
 DRUM, quod in *Chron. cit. paullo post exhibetur*, tam ob-  
 scuris verbis conscriptum sit, ut illius copiam plene nobis  
 facere non potuerit illustr. MULLERUS. Audiamus etiam  
 REUTENF. lib. cit. v. 203, hac de re ita differentem: *Bulgaria*  
 ta, inquit, elementa ex Gracis depravata, Glagolice dicuntur,  
 quæ alii anno Christi 810 a Michaële Europalate Imp. ducem  
 Bulgarorum Chrunonem, vel placamenti loco, eam Byzantium

appugnaret, inter cetera munera accepisse; alii anno demum 845  
 Bogerim Regem Bulgariae una cum Religione Christiana a Michaeli  
 Imp. Theophili filio, esse indeptum putant. In hac vero re  
 tutius est, annalibus ejusdem regni, in quo res acciderunt,  
 quam alterius narrationibus fidere. (f) Vid. Chron. Theodos.  
 modo cit. p. m. 22. seq. (g). Cfr. MESSENII Scordiam illu-  
 strat. Tom. I. p. m. 72. REUTENFELSHI l. c. p. 210. ubi  
 anno CMLXXIII hoc factum fuisse statuit, sed falso, ut ex  
 dicendis apparet; Helena quoque jam a. CMLXIX mortua  
 est. Cfr. Samml. Russ. Gesch. Tom. I. p. 99. Confirmatur le-  
 gatio hæc in Contin. Reginon. ad an. CMLIX. Legati Hele-  
 nae, Regina Rugorum, que sub ROMANO, imperatore Constantino-  
 politano, Constantionopoli baptizata est, filie (ut post caruit)  
 ad regem venientes, episcopum & presbyteros eidem genti pete-  
 bant, cit. a FABRO in Dissert. laudata, ejusdemque  
 §. VII. Ubi etjam observat, medio ævo Rossos cum Ru-  
 gis in insula Rugia confundi solere; hos vero ea tempestate  
 neque Helenam habuisse reginam, neque Christiana caruisse  
 religione, quippe quam sub LUDOVICO Germanico jam am-  
 plexati essent. (h). Vid. Diss rt. proxime citat. §. VIII. ubi  
 auctor de familia & nomine BRUNONIS eruditus, ut soler,  
 differit. (i) Confer. MARTINI TOLPO Dissert. de initiis  
 rei literarie in Svetbia p. m. 46. (k) Confr. Snorro STUR-  
 LONIDIS Heimskringla Tom. I. Cap. VII. (l) Vid. libr.  
 modo cit. Cap. XXIX. (m) Vid. Chron. Theod. p. m. 188. (n) cfr.  
 Chron. cit. p. m. 191. (o) cfr. Vetus Historie Moseborum Chron.  
 apud Nob. SCHOENSTROEMIUM in introd. ad Hist. Svec.  
 MS. (p) Vid. Sammlung Russischer Geschichte Tom. I. p. 2. seq.  
 Hoc loco observandum, Celeb. ARVIDUM MOLLERUM  
 in Descript. supra citata p. 15. seq. totum in id incumbere, ut  
 veritatem Chronographi hujus plane destruat, immo & ipsum  
 existisse negat atque in plurima extrema dilabitur. Res vero  
 hæc cum singularem & longioriem requirat tractationem & re-

futationem, quam ut hoc loco a nobis fieri possit, ideo quoque sub judice illam relinquimus; hoc unum monentes, caussas, quas MOLLERUS ad corroborandam conjecturam suam, ut ipse loquitur, adhibet, leviores esse, omnesque, qui partium studio non trahuntur, haud magno negotio perspicere, eas facile solvi posse. Quod ad Scriptores illos attinet, qui etatem THEODOSII antecesserunt, putamus, eorum opera ea tempestate, cum Rossia sub Tattarorum jugo ingemiseret, periisse; illiusque historiam, quæ in Acad. Scient. Petropol. assertatur, exemplar tantum esse ipsius originalis; quippe quod recentiori manu exaratum est, (q). Cfr. ALEXANDRI GWAGNINI Descript. Moscoviae p. m. 367. cui addatur; HERBERSTEINI loc. cit. p. m. 62.

## §. V.

Sequenti tempore, dum Principes Rossici de summa imperii inter se dimicare cœpissent, atque in se invicem Vatinianum adeo concepissent odium, ut multi eorum nullam potius vellent rem publicam, quam ex suo arbitrio non administratam; factum est, ut fortissimus Tattarorum Princeps BATHI, occasione invigilans, totum sere hoc occupaverit regnum atque cives in miserrimam redegerit servitatem. In hoc turbulentio statu, qui ultra duo saecula duravit, lucula ista Litterarum, quæ per Religionem & curam priorum Rossiae Principum fuerat exorta, sensim fuit extincta. Constat quippe ex historia, barbariem, quæ illo ævo inuaserat, eo usque jam processisse, ut nummi, qui sub Tattarorum jugo cudebantur, in aversa sequentia haberent verba, Arabico idiomate: unus tantum datur DEus, ejusque

que Propheta est Muhammed; in reversa vero illorum nomina exstabant Principum, sub quorum regimine signati erant (a). Immo quum commercia cum Græcis hac tempestate Tattarorum moliminibus valde fuerint interrupta, nec ab illis resuscitari potuerunt disciplinæ. Nunc igitur novus requirebatur labor, nova cura, novæque impensæ, ut litteræ iterum in Rossiam introducerentur; quod vero optato successu prius fieri non potuit, quam excussum feliciter fuit Tattarorum jugum, utpote de quo Rossiaæ Principes maxime solliciti esse debebant. Hoc facto de JOHANNE BASILIDE II constat, quod licet, ut non-nullis (b) placet, crudelissime in cives suos sævierit, nihilominus eis, qui Religioni Evangelicæ essent addicti, Templum in ipsa urbe Moscua primum exstruere, deinde vero ob caussas quasdam graviores in suburbio sic dicto Germanico idem constitueret, qui sacra ibidem docerent (d). Nulli igitur dubitamus, quin hi, quorum tamen pauci forte advenierunt, tam de Religione, quam de studiis litterarum, quæ paribus plerumque ambulant passibus, per Rossiam promovendis fuerint solliciti. Concinnavit etjam ipse Imperator librum quendam, centum capitibus constantem, quem proinde magnæ auctoritatis & libri Symbolici vicem pridem subiisse, nonnulli existimant (e). Aperauit quoque idem data occasione duobus Livonis, ministris suis, se velle Scholas Germanicas adornare: *Quod si factum fuerit, inquit, in eam rem incumbam; ut in urbibus meis*

meis Plescovia & Novogardia ludi litterarii aperiantur, in quibus juventus Ruthenica in lingua, Latina & Germanica instituatur. Quæ Germani ejam in mea ditione seu templo seu ædificia habuere, ea omnia, ut resfiantur, curabo (f). Maximum vero his eorum conatibus addidit pondus, quod cura & impensis Imperatoris hujus, ars typographica in imperium hoc introducta fuerit; hujus quippe beneficio non solum libri quicunque & translati & a Ruthenis ipsis consignati pro viliori pretio comparari potuerunt, verum etiam, supra quam dici potest, litterarum pomœria dilatata sunt. Ars hæc sub auspiciis MACARII, Archi Episcopi Novogardensis, primum Moscuæ sedem invenit, priusque liber, qui hic An. 1562. impressus est, erant *Sacra Evangelia*, ut ex relatione iisdem annexa videri potest (g). Hac vero re nihil aliud effecit Princeps modo memoratus, quam ut Rossi ab ignorantia tenebris ad lucem disciplinarum sensim pervenerint. Interjecto tempore Magnus Rossiæ Dux BORIS GUDENOV satis animadvertisit, barbariem civium per sedulam litterarum culturam esse eluendam; quare secum meditabatur, quomodo eruditos Viros in Rossiam arcesseret, qui variis disciplinis cives suos instituerent. Debuissent utique Monachi in re tanti momenti auxiliatrices ipsi porrigerere manus; sed hi tenebriones, cellularum suarum umbracula magis, quam litterarum splendorem amantes, nihil prætermisserunt, quo egregium adeo conamen sufflaminarent, nec prius destiterunt, quam proposito suo renuntiaret

tiaret BORIS; cui persuaserant, avitam Religionem  
 adventu novorum Doctorum vehementer periclitari,  
 morumque peregrinorum contagium pristinam  
 simplicitatem pervertere, quod non posset non dis-  
 sidia interna excitare. Idem tamen, sicut pruden-  
 tia & bene merendi studio valuit, Nobiles quosdam  
 Rossicos rariores ingenii, quos octodecim fuisse,  
 perhibent Scriptores, elegit; eorumque sex in Germa-  
 niā, cæteros vero in Galliam & Angliam misit,  
 ut litteris ibidem imbuerentur; sperans, se horum  
 opera promulsiōē litterarum civibus suis propina-  
 turum, atque Monachorum pervicaciam sensim su-  
 peraturum (*b*). Rei medicæ aliqualem usum ut  
 cognitum redderet civibus, aliquot Medicinæ Docto-  
 res ad se arcessendos curavit, magnisque divitiis &  
 honoribus eos ornavit. Qua de re verba afferam  
**CONRADI BUSSONIS** in *Historia Ms:ta*, Verwirrter  
 Zustand des Russischen Reichs von a. 1584. bis a. 1613.  
 p. 21. seq. In diesem Jahre 1600 verschreibt der  
 Kaiser aus Deutschland etliche Doctores Medicinæ,  
 und Apotheker; einen Doctorem, der mit dem Eng-  
 ländischen Abgesandten dahin kommen war / bittet Er  
 von dem Gesandten los / der war von nation ein Un-  
 ger, hieß Christophorus Rietlinger ein wohl versuch-  
 ter Mann / und ein guter Medicus auch vieler Spra-  
 chen kündig. Die andere, so Er aus Deutschland ver-  
 schrieben / waren diese: Doctor David Valmar, Doct.  
 Henricus Schröder, Lubecenses, Doct. Joh. Hol-  
 chenius Rigensis, Doct. Caspar Fridericus Regio-  
 montanus. Alle promovirte Doctores und seine ge-  
 schritte

lehrte Männer. Der 6:te hieß Erasmus Beuski, von  
 Prag war Medicinæ Studiosus. Diese hielte Er da-  
 zu / daß sie mühten alle auf seinen Leib warten / durf-  
 ten keinen großen Herren curiren / wo nicht derselbige  
 Seine Majestät zuvor darum begrüßten und bitten las-  
 sen (i). Deinceps sicut PSEUDO-DEMETRIUS I.  
 Rostianensem amplexus fuerat religionem, ita quam  
 primum ad gubernacula imperii pervenit, mox Ignatii  
 Lojolæ ad seclás catervatim ad se vocavit, ut tam  
 avitam Græcam Religionem ex animis civium sen-  
 sim oblitterarent, quam ut populum in suis erudi-  
 rent dogmatibus; quod opus promovit ANTONI-  
 US LONGINUS, ad aulam Polonicam Legatus Pon-  
 tificius (k). Immo circa superioris sæculi initium  
 pleraque monasteria fuerunt erecta, in quibus juven-  
 tus instituebatur. Statim enim ac MICHAEL FEO-  
 DOROVITSCH habenas regni capessiverat, Patrem  
 suum, qui Patriarchali resplenduit tiara, quique  
 ipse litteris haud mediocriter tintitus erat, de hisce  
 per imperium Rossicum promovendis, multum fu-  
 isse sollicitum, ut credamus, plura sunt, quæ sva-  
 dent. In primis vero cura ipsius circa nepotem su-  
 um ALEXIUM MICHAILOVITSCH in litteris edu-  
 candum versata fuisse videtur, utpote quem ut ma-  
 gni ingenii Principem nobis exhibent annales (l).  
 Ipse tempus haud exiguum, quantum nempe in il-  
 lo litterarum exilio licuit, libris legendis impen-  
 dit, eoque non mediocrem de rebus, ad naturæ &  
 Politicæ notitiam spectantibus, scientiam consecutus  
 est. Et licet ipse linguas peregrinas non calleret,

atta-

attamen ex illis varias scientias in vernaculaam curavit transferendas (*m*). Status Litterarum, qualis hoc ævo fuerit, ita describit REUTENFELSIUS: *In ludis scholasticis præterquam litteras combinare, characteres fingere ac numeros inire, nihil ultra eriduntur.* Poëticam valde adhuc incomitam, ac enormous, non tamen plane nullam habent, & Poëtae iis, quemadmodum Reges, non sunt, sed nascuntur. -- Scripta sua non nostro ritu in folia discissa, plicisque & acu connexa, sed in volumina, quod moris etiam apud Hebreos obtinuit, longa serie conglutinata, & convoluta servant. Supputandi artem (*n*) lapillis seu corallis, ferreo filo transmissis, ac in duas tabellas dispensatis, Tatarorum & Chinensium ritu, træulant. Et paulo post: Scholam Litterarum Latinarum nuper iu urbe regia (Moscuæ) aperuerant, sed studia discentium eniti ultra cognitionem linguae vetabantur; immo iis tantum, qui officio interpretum aliquando sint functuri, a Principe hæc discendi libertas dabatur; quanquam hæc tam salubris instituti sanctio, ut ex relatione quorundam accepta loquitur REUTENFELSIUS de se ipso), docentium culpa sit abrogata. Vernaculo idiomate post sacras paginas, & libros precum, Canones etiæ nonnullos, & multa S. S. Patrum, Chrysostomi, Basili, Gregorii Nazianzeni, Joannis Damasceni, ac aliorum scripta, annualumque & LL. domesficularum codices, universalem orbis Historiam, Alexandri M. res gloriose gestas, ac vitas presertim Sanctorum indigenarum vulgo legunt (*o*). Idem etiam auctor laudat tam Litteratos Rossos, quam Mæcenates, quibus studiorum cultu-

ra curæ cordique fuit. Justitiæ vero quum modo memoratus ALEXIUS maximam curam gereret, etjam anno 1647 JOHANNIS BASILIDIS Iudiciorum constitutiones, Concilii Florentini examen cum rigorosa *Ihdori* castigatione, nec non Canones *Joannis Metropolitæ*, ac *Cyrilli* cuiusdam quæstiones ad *Niphontem Novogardiæ Episcopum*, in meliorem collecta seriem typis exprimi, dieque SOBORNOJE ULOSCHENIE, sive comitiorum decreta, jussit (p). Ante hujus enim ævum leges ad *Pricaſſiorum* sive judicum arbitrium & perversas consuetudines detortæ, valde incertæ & proinde iniquæ fuerunt. Hic vero, ut proœmium statutorum Rossicorum in linguam latinam translatorum indicat, inito consilio eum Patriarcha, Metropolitis & Episcopis totius Rossie, injunxit Proceribus nonnullis civibusque selectioribus, ut quæ in actis Apostolorum & sanctorum Patrum ac in libris Græcorum Imperatorum castrensisbus ad Politicum regimen pertinencia scripta invenissent, describerent & cum iis Antecessorum, Magnorum Czarum & Magnorum Ducum Rossie nec non Magni Ducis MICHAELIS FEODOROVITSCH mandata Bojarorumque, id est, nobilium ad regia & civilia negotia spectantia statuta inter se conferrent, & inde opus quoddam consignarent (q). Quia vero nemo juris peritus tunc adfuit, incompletam admodum & confusam hanc collectionem fuisse, multi contendunt; quod nec mirum erit, si perpenderis, pandectas hasce iuris Rossici ex fontibus diversis plane desumptas fuisse (r).

Atque

Atque hoc loco haud erit silentio prætereundum, quod tempore THEODORI ALEXIEWITSCH, cui Poësis & Musica in deliciis fuit, primum initium factum sit, orationes Sacras memoriter habendi; quod Præceptor Principis, Monachus quidam, nomine *Simon POTOTSKI*, sæpe data occasione præsttit, concionesque ipsius in folio typis impressæ prostant. De his vero tale multi ferunt judicium, quod melior fuerit Orator atque Poëta, quam Theologus; quia & Poëtici, & alii Theologici ab eo conscripti libri Fabulis Romanensibus, debilibusque argumentis repleti esse dicuntur (s). Hunc Mæcenatem Augustum Scholarum quoque curam gerere, easque magnis redditibus locupletare incepisse, ferunt; mature vero nimis cum decessisset, conatus ejus exoptatos habere non potuerunt successus. Enimvero hæc fuerunt solum modo tamquam litterarum crepuscula per Rossiam exorta, quæ pleniore lumine exsplendescere cœperunt, vergente ad finem superiore sæculo, dum partim celebris ille Cossakorum Dux MAZEPPA Academiam Kioviam, quæ urbs inde ab antiquissimis retro temporibus velut elegantiarum sedes fuit, instituit, quæ multos postmodum Viros multiplici eruditionis supellestili instructos in commodum Patriæ emisit, partim quæ Principes Svetiæ ad occidentales Rossiæ oras Musis erigenda curarunt delubra, de quibus alia occasione plenior erit differendi locus, sub potestatem Rossorum venerunt, partim denique ipsius Rossiæ Imperatores gloriosissimi varia instituta litteraria adornarunt.

(a) Vid. v. HAVENS Nye og forbedrede Efterratninger om d.t Russiske Rige Tom. II. p. 341. assert quoque idem alio loco numnum haec inscriptione: *Muhammedanorum Deo & Prophetæ honori.* (b) Non enim latet nos Jobannem Nestesurano-jum (Mr. LIMIERÈS) in libro suo: *Memoires du Regne de Pierre le Grand, Empereur de Russie,* statuere, Principem hunc tyrannidis fallo esse accusatum, & justi potius bonique nomine dignum, cum artes manuariæ, nautica & commercia curæ cordique ipsi fuerint, quæ vero fævitiam redolere videantur, ex genio populorum, cum quibus ipsi bellandum, quosve imperio regebat, dijudicari debeant. vid. *Acta Erud.* 1726. p. 215. seq. Illius quoque defensionem agit G. S. TREUERUS in *Apologiz sua pro Jobanne Basiliide II. Magno Duce Moscoviae, tyrannidis vulgo falsoque insinuato ed.* 1711. Vienne. (c) Causas illius rei sincere nobis refert v. HAVEN in lib. cit. Tom. I. p. 490. (d) Conf. PETRI PETREJI *Sciagraphiam Regni Moscovitici Lib.* II. p. 101. 102. (e) vid. BERGII *Dissert.* cit. p. 36. (f) Cfr. Dn. PRINTS a BUCHAV de *Moscovie ortu & progr.* p. 77. sq. cit. a Fabro in *Dissert. laud.* Si. XXII. p. 49. seq. (g) Vid. Illustr. G. F. MULLERI *Sammlung Russischer Geschichter Tom. V.* p. 511. Adnotavit hoc ejusdem scripto laudatus v. HAVEN l. c. Tom. I. Cap. VI. p. 101. dicens: se antiquum quoddam *Rituale Ecclesiasticum* in Bibliotheca Acad. Scient. Petrop. vidisse quod tempore Jobannis Basiliis impressum esse, opinatur. Rem hac quoque confirmat translatio editi cuiusdam *BASILIDIS*, quam ex Archivo Regis Sueciae nobis exhibet BERGIUS in *diss. cit.* p. 152. seq. Annus ibi allegatur 7061, qui responderet anno Christi 1553, quo scilicet primum initium sumtibus Magni Ducis Typographiam adornandi factum est. SS. vero Bibliorum impressio post decennium primum absoluta esse dicitur. Typographi, quibus cura haec demandata fuit, ibidem vocantur *Jobannes Hodersson & Petrus Timofesson.* (b) Vid. HOLLBERGS

*Europaeische Rigers Historia p. m. 783.* (i) Cit. a FABRO in *diff.*  
*sua p. 54.* (k) Vid. PETREJI lib. cit. p. m. 158. Part. II. (l) Cfr.  
*STRAHLENBERGII Nord- und Oestliches Theil von Europa*  
*und Asia p. 213.* (m) Vid. REUTENFELSIUS de Rebus Mosc. p. 83.  
 nec non *STRAHLENBERG loc. cit.* (n) Qui veram & distin-  
 ctam hujus supputationis cognitionem desiderat, audeat v. HA-  
 VEN lib. cit. Cap. de Mercatura. (o) Vid. REUTENFELSIUS lib.  
 cit. p. 203. seq. (p) Cfr. lib. proxime cit. p. 126. Collectio haec  
 pro prima quasi lege fundamentali in Rossia habetur. (q)  
 Vid. *Diss. citat.* p. m. 63 & 64. Statuta Moscovitica primus  
 Latino idiomate expressa Augustinus Lib. Baro de Mayerberg  
 LEOPOLDI Imperatoris ad ALEXIUM Orator in Ger-  
 mania evulgavit, & itinerario suo in Moscoviam subjun-  
 xit. In lingua Germanica quoque apparent, sub titulo: *All-*  
*gemeines Russisches Landrecht, mit B. Gotth. Struve's Vor-*  
*rede, Damig 1723. 4.* Deprehendi vero in his legibus ve-  
 stigia juris Saxonici & Lubecensis, egregie docuit ab IM-  
 HOFF sub *præsidio* Viri illi. GEORGII ab ENGELBRECHTI, in  
*Specimine collationis juris Moscov.* & *communis An. 1711.* Caus-  
 sa convenientia hujus est, quod mercatores & majores &  
 minores in condendo jure civili Rossorum adhibiti fue-  
 runt, testante procœdio statutorum, quibus jura Lubecensia  
 & Livonorum circa contractus, debitores, damna data &  
 ex frequenti commerciorum exercitio non poterant non esse  
 cognita atque perspecta. Vid. *FABRI Diss. §. XXIX p. 63. seq.*  
 Adferit quoque ipse loco citato exemplum hujusce rei de debi-  
 toribus, qui nomina sua expedire nequeunt, scil. stat.  
 Mosc. c. 20. §. 38. 39. coll. cum jure Saxon. im Landrecht  
 L. 3. art. 39. nec non cum MEVIO ad Jus Lubec. L. I. tit.  
 3. art. I. n. 95. seqq. (r) Conf. *STRAHLENBERG lib. cit. p. m.*  
 214. (s) Cfr. lib. proxime citat. p. 217. & 218.

## §. VI.

Ordinis atque instituti ratio nunc exigit, ut initia hæc litterarum per Rossiam missa faciamus, & felicem illam consideremus ætatem, qua HEROS immortalis memorie PETRUS I. MAGNUS, pristinum Patriæ squalorem detersit, atque nitidam ipsi reddidit faciem. Quocirca in antecessum erit observandum, quod sicut omnium rerum, ita etjam Litterarum nova Epochæ ab auspiciis hujus Imperatoris optimo constituatur jure. Tanta autem sunt Ipsius in totam Rossiam merita, ut qui acutissimo pollent ingenio dubii hæreant, an majorem gloriam in bello, quam in pace sibi comparaverit. Quicquid autem sit, inficias iturum spero neminem, eximium hunc Monarcham in admirationem omnium sæculorum Litterarum studia, haec tenus negligenter culta, in vastissimo Imperio promovisse, nullis omnino sumtibus eum in finem parcens; probe gnarus, quod felicitatem civium, quæ ipsi tantopere curæ cordique fuit, nunquam confirmaret, nisi ingenuis Camenis tranquillam in suo regno pararet sedem. Ut vero inoffenso pede in arduo hocce stadio, in quo XENOPHON etjam & LIVIUS sese exercere possent liberaliter, progrediamur, expendere juvat, tum quantos Magnus hic Imperator in Litteris fecerit progressus, tum quid ad florrem litterarum in terris sibi subiectis contulerit.

Sicut in Principem hunc exquisitissima sua munera plenis manibus profudisset faatrix Natura; ita etjam

etiam, quamvis in infantia Patrem desiderare coactus esset Optimum Augustum, teneram tamen educationis ipsius curam in se suscepereunt Augusta Mater NATALIA, ERICI filia, NARISKIN & Aulæ Magister BORIS GALIZIN. Hic ipse natione quidem Rossus fuit, ita tamen litteris eruditus, ut, quod insolens tunc habebatur, linguas tam Latinam, quam cæteras Europæas, quarum cognitionem in multiplici per Europæ regna Legatione sibi acquisiverat, optime calluerit. Neuter horum ferre potuit perversas opiniones & consuetudines, quas impense dilexerunt Rossi, qvod præscriptionis quodam jure easdem tenerent, sed quicquid egregium & humanitatem spiraret in moribus exterorum, suis civibus imitandum proposuerunt. Quem ipsi conceperant barbarie horrorem, eundem Augusto Alumno sed prudenti admodum ratione instillare operose nitiebantur, frequentia cum ipso colloquia instituendo de præstantia morum peregrinarum gentium, comparando inter se harum leges atque instituta cum suis ritibus illorumq; venustatem & horum, quamvis a Majoribus acceptorum, prope ridiculam deformitatem ostendendo. Ita se gerendo, id sensim efficerunt, ut magnus hicce Princeps firmiter sibi proponeret, metamorphosin quandam morum ad exemplum cultiorum Nationum instituere. Quod Augustum decretum & tropæis omnibus longe præfrendum nulla impedimenta ipsi objecta sufflaminare potuerunt, quin eadem, multis licet ingratis, pertrumperet, ad desideratum scopum acriter contendens.

dens. Ut vero Princeps hic eo meliorem conserueretur educationem, qui hujus curam gerebant nulli dubitarunt, domesticis ipsius Ministris peregrinos probatæ vitæ atque industriae adjungere. Horum in numero celebratur quidam nomine *Le FORT*, Geneva oriundus, qui & ingenio valebat & peregrinationibus per præcipua Europæ regna institutis magnam rerum experientiam sibi comparaverat. Hic in familiaritatem Principis admissus liberaliter ipso exposuit statum, mores & instituta plerorumque Europæ populorum, in primis Svecorum, Danorum, Batavorum, Germanorum aliorumque, apud quos commoratus fuerat. Mox HEROS Noster nuda rerum adeo memorabilium cognitione non contentus, sed, subditis quasi excelsio ipsius ingenio stimulis, omnium momentorum exactissimam desiderabat peritiam; quare modo memoratus *Le FORT* jussus fuit, alios quoque in conspectum Principis producere extraneos, qui hanc vel illam materiam pro re nata ipsi succinctè explicarent (*a*). Tempus vero est, ut Magnum Imperatorem, Palatinas relinquentem meditationes, & longinquò itineri ad Terras alio quasi sole calentes, sese accingentem comitemur, cauñasque tam magnæ hujus Legationis, ceu dici sivevit, quam emolumenta, quæ hinc sensit Patria, breviter exponamus. Quo itaque fuit perspicacissimo ingenio PETRUS MAGNUS, satis animadvertit, quantum & prudentiam & rerum experientiam suam augeret, si ipse una cum delecta Procerum manu, quorum probata esset fides, exteris ad retinatio-

nationes, & quæ auribus hauserat, suis intueretur oculis. Duas igitur peregrinationes instituit, quarum prior suscepit An. 1697, comitante inter alios dicto Le FORT (*b*); alteri autem sese accinxit An. 1716. In posteriori Daniam, Galliam, Bataviam & Germaniam peragravit, quo in itinere duos fere annos consumit (*c*). Dum in Belgio & Britannia commorabatur, in id præcipue incubuit, ut notitiam rei nauticæ atque commerciorum sibi compararet. In Gallia vero tam rerum copia, quam incolarum ingenio & humilitate perquam delectatus fuit; occurrentibus ipsis Eruditis & inter se velut certantibus, ut bonarum artium studia Grandi Hospiti commendarent. Academiam scientiarum Parisinam, perspecta ejusdem utilitate & cognitis Academicorum meritis adeo dilexit, ut insolito, sed in omnem posteritatem memorabilis exemplo se isti societati adscribi haud recusaverit (*d*). Ita ferme imitatus est Imperatorem MARCUM AURELIUM ANTONINUM. Sicut enim hic tanto honore prosecutus fuit Philosopher, præceptores suos, ut cognomen etiam eorum adsumserit, imagines aureas in larario constituerit, & sepultra eorum hostiis floribusque ornaverit; ita Noster Imperator a sua Majestate alienum haud duxit, in eorum adoptari collegium, quorum opera & meditationibus abstrusa disciplinarum adyta fuerunt detesta. Immo ne otiosus, & nomine magis quam re ipsa, foret Academicus, in epistola quadam, quæ publici juris facta est, Academia illi descriptionem Maris Caspii transmisit; se plura adhuc imperii sui memorabilia data occasione cum

illa communicaturum, gratiosissime promittens (e). Quid? Quod dum Parvis commorabatur, sermonem contulerit cum inclito Professore DE L' ISLE de gargitibus Maris mojo memorati, quos revera ibidem dari, adfirmat STRAHALENBERGIUS (f). Constat quoque, Imperatorem hunc An. 1720. circiter varios libros linguis *Tangutica*, *Calmuccica* & *Mungalica* exaratos, quos non ad flumen Dariam, ut quidam perhibent, sed ad fluvium Irrisch milites ex urbe Tobolio, Calmyccicas petentes terras, invenerunt, ad Academiam misisse, ut eosdem interpretarentur Academicci, eorumque contenta orbi eruditio exhiberent (g). Quod progressus Ejus in litteris attinet, WEBERUM ad lucam, pro me verba facientem, qui Ei coævus, saepeque ad latus Ejus versatus fuit. Sequens vero de Augusto Monarcha fert testimonium: Quod Extranei de variis Imperatoris in scientiis progressibus memoriae produnt, veritati ad amissum convenit, nemoque, cui Monarcham hunc rite cognoscere licuit, negare audet, quod primarius & prudentissimus sit Aulæ Minister, experientissimus exercituum Dux milesque, eruditissimus omnium Roslorum Theologorum pariter ac Philosophorum, optimus Historicus & Mechanicus, prudens navium Architectus, melior vero adhuc Nauta (h). Effratum hoc Historici, fide dignissimi, comprobant facta PETRI heroica, excelsa quævis & tanto Principe digna satis spirantia. Confirmant id insprimis leges ab eo sancitæ saluberrimæ, nec non instituta plurima, quibus tranquillitatem & potentiam imperii sui insig-

gniter promovit, & per aliquot annorum decades ea in vastissimo suo imperio perfecit, quibus exantlandis apud alias gentes vix integra saecula suffecerunt. Evincunt praeterea veritatem asserti foedera & bella, quae sub auspiciis Ejus inita sunt ac felicissime gesta; licet enim militibus rei bellicae admodum imperitis stipatus esset, hostes tamen exercitatissimos profligavit, imperiumque ad omnes mundi plagas extendit. Testantur masculam illius eruditionem ac Regiam Philosophiam sermones, quos in frequentia Consiliariorum ceterorumque civium habuit, ab Auctoribus immortalitati, quam adfatim meruerunt, consecrati, exemplisque ex Historia Patriae & aliarum gentium de promtis referti. Quam impense litteras dilexerit, testatur tam selecta illa librorum supplex, quam inter cimmelia sua rerulit, quam hoc in aprico ponunt Machinæ & instrumenta Mathematica & Physica, quorum tractatione gratam scientiarum promulgatam civibus suis propinare voluit. Ut sexcenta alia argumenta, quæ passim apud Historicos probatae fidei occurrunt, sicco praetereamus pede, merita Magni hujus Imperatoris in litteras & Literatos, quantum ingenii vires permittant, nunc expofituri

(a) Vid. v. HAVEN loc. cit. Tom. I. p. 125 seq. (b) Cfr. loc. cit. Palatium Dn. LE FORT adhuc in suburbio Germanico Moscœ conspicitur, quod Aulæ Ministri, quum Imperatores ibidem commorantur, inhabitant. (c) Vid. Das Verenderte Russland p. 124 & 230. (d) vid. STRAHLENBERGII libr. cit. p. 27. & Praefat. ad Comment. Acad. Scient.

Petropol. Tom. I. (e) Conſt. Praefat. modo cit. (f) vid. libri cit. p. m. 27. Quod si quis legere cupiat ipsum diſcurſum, quem de hoc argumen‐to habuit Imperator cum Professo‐re De L' ISLE, perlegat Memoires de l' Acad. Roy. des Scien‐ces, An. 1730. p. 495. (g) Vid. Auctorem proxime nom. loc. cit. (h) Conſt. Das Verand. Russland p. m. 13.

## §. VII.

Quemadmodum sol insitum calorem ac splen‐dorē ſibi non retinet, ſed fulgentiſſimos radios per‐totum, quaqua patet, universum diſfundit & opaca quæviſ corpora illuminat; ita quoque Imperatorum Roſſicorum Phœbus, PETRUS ALEXIOVITSCH, in Patriam redux, veterem ſqualorem detersit, & ci‐ves ad claram ſcientiarum lucem deducere audiuit. Eum in finem optima quæviſ & ad artes liberales nata ingenia ad peregrinas miſit terras, ut ſuo exem‐plio peritiam Studiorum Mathematicorum, Rei nau‐ticæ atque disciplinarum Philosophicarum pro cuius‐viſ indole ſibi acquirerent; quibus inſuper deman‐datum, ut, itinere confeſto, ad patrios redirent la‐res, & comparatam eruditionis ſupelleſtīem in pu‐blicum uſum explicarent. Horum nonnullos varia‐rum vitæ conditionum, ut classis Praefectos & exer‐cituum Duces, Viros etiam monera & ecclesiatica & civilia magna laude administrantes, Scholarum i‐tem Doctores, Architectos, Mercatores, aliosque per‐plures tempore, quo HAVEN in mea commorabatur Patria, adhuc ſuperstites fuiffe, ipſe reſtatur (o). Utilitate peregrinationis prudenter ſuceptæ ſatis perspecta,

Suc‐

Successores quoque PETRI Augustissimi Nobilibus Rossicis injunxerunt, ut filios suos ad exterias gentes studiorum gratia mitterent. Quid? Quod tempore Imperatoris Nostri in medium consuluerint nonnulli, ut Filiae etiam, nobili loco natæ, ut probis imbuuerent moribus, Matronarum exteriarum confor-tia frequentarent; ob preces vero Parentum, graves huic decreto objicientium causas & remoras, tandem a proposito destitit Magnanimus Imperator (*b*). Si cui minus placeat isthoc institutum, cogitet, quæ-so, quantum egregii venustarum seminarum mores valeant in formanda ad humanitatem & dignitatem virorum indole, nec amplius dubitabit, quin hac quoque ratione ad suum scopum contenderit Imperator. Hic quam secum perpenderet rerum humana-rum mirabiles vices, in Oratione quadam, quam coram quibusdam suis civibus habuit, se haud lubrica conjectura colligere posse dixit, literas artesque, quæ suas etiam experiuntur vicissitudines, sedibus suis in Britannia, Gallia & Germania, ubi tunc vernarent, relictis, apud Nos delubra sua constitutas & per aliquot sæcula ibi mansuras; deinde vero mira ana-cyclopi primas sedes, unde discesserant, Græciam scilicet, repetituras (*c*): quare æquum censuit, omnem navare operam, ut ad exemplum aliorum populo-rum bene moratorum Scholæ, Gymnasia & Acade-miæ in Provinciis sibi subjectis erigerentur, quippe quæ officinæ essent, in quibus ingenia acui & mo-res optime poliri possent. In negotio tanti momenti opera inprimis utebatur Maxime reverendi, ERNE-

STI GLÜCK, Præpositi Pastorisque Primarii Mariæburgi; quo in loco a Rossis An. 1702. una cum familia sua captus Moscuam abductus est, gratiaque in primis apud Potentissimum Imperatorem valuit (*d*). Hic namque, quamdiu in vivis fuit, a S. Cæsarea Majestate 3000 Rublonum quotannis accepit, quam pecuniæ summam Gymnasio seu Scholæ illustri, quæ ejus subesset moderamini, Moscuæ in Palatio NAKISKIORUM erigendæ impenderet. Ad hanc frequentandam & Nobiles & Plebeji publico edicto invitabantur, eoque vacatio a militia his, qui eam postularunt, dabatur, & in litteris progressus facientibus promotio certissima fuit promissa. In hac autem palestra juvenes liberaliter instituebantur tam in variis disciplinis, quam in linguis Græca, Latina, Gallica, Italica atque Turcica (*e*). Hoc vero Gymnasium, sive ut HEUMANNUS dicere amat, Academiam nunc concidisse, a quodam ex hac urbe reduce, se accepisse memoriae prodit (*f*). Jesuitæ quoque, Missionarii, in suburbio Germanico habitantes, præter linguam Latinam, Mathesin atque disciplinas militares docebant. Pariter & Pères Græci spectatae eruditio, & dissitis regionibus evocati, publica merabantur stipendia, tam linguas Græcam & Latinam, quam Philosophiam atque Theologiam, qualem ante Kioviae vel Romæ & Patavii didicerant, proficentes, & publicas nonnunquam disputationes de argumentis variis instituendo (*g*). Hoc tamen tempore Rutheni accuratam S. S. Bibliorum versionem non habuerunt, sed ea, quæ a METHODIO supra di-

dicto confecta erat, adhuc utebantur; quæ vero vi-  
tio sœculi illius tot; scatebat mendis, ut vix perio-  
dum integrum Laicus Rossicus rite intelligere potue-  
rit. Ut malo huic gravissimo medela; adhiberetur,  
Monarchæ Nostro curæ cordique fuit; quod etiam  
factum est, quum Moscuæ An. 1705 a THEODORO  
POLYCARPOV, Cæsareæ & Patriarchali Bibliothecæ  
Præfecto & Directore Typographiæ Moscoviticæ,  
*Dictionarium Trilingue*, hoc est, *dictionum Slavonica-  
rum, Græcarum & Latinarum Thesaurus*, juxta Sla-  
vonicum Alphabetum in ordinem dispositus in 4:to fue-  
rit editus. Qua opera vocibus obscurioribus in ver-  
sione illa Slavonica occurrentibus lux quædam fuit  
accensa. Hoc vero adminiculum nondum sufficere  
existimavit GLÜCKIUS; quum illius judicio, haud  
pauca in versionem irreplissent menda, cum ipsa  
fidei analogia pugnantia; quare publico Imperatoris  
mandato interdictum fuit, ne ista versio a quoquam  
denuo imprimiceretur. Ipse versionis S. S. Biblorum  
novæ atque accuratioris curam Theologis quibus-  
dam inclytis demandavit; illam enim, quam ex fon-  
tibus ipsis, ante captivitatem suam memoratus GLÜC-  
KIUS adornaverat, in direptione hostili Bibliothecæ  
suæ amiserat. Aggressus etiam est idem hic Vir ac-  
curatiorem Novi Testamenti Græci versionem ī lin-  
guam Ruthenicam, qualem autem exitum isthæc mol-  
mina habuerint, nondum expiscari potuimus (b). Cæte-  
roquin GLÜCKIUS exactam omnino linguæ Rutheno-  
Slavonicæ peritiam habuit, cuius varia eademque e-  
gregia exstant specimina; Cantiones quippe Luthe-

rano-Evangelicas tam feliciter in Rossicam vertere-  
rat linguam, ut verbum verbo respondeat, immo &  
Rhythmi & canendi modus convenienter (i). Sed  
quoniam multa sibi ab egregio hoc Viro pollicebantur  
Rossi, vitam cum morte commutavit an. 1705, non  
sine magno litteraturae Ruthenicæ detimento. Etenim  
non solum ipse multiplici eruditione instructus  
erat, verum etiam quoniam gratia apud Imperatorem  
præcipue valeret, variis de negotiis ad florem Little-  
raturum per Rossiam promovendum cum Ipsi coram  
loqui posset. Post hujus fata curam litterarum in se  
suscepit HENRICUS ab HUYSEN, S. Cæsareæ Ma-  
jestatis Consiliarius status ac belli, nec non Principis  
Hereditarii ALEXII, PETRI filii, studiorum Mode-  
rator. Huic enim, ex Germania reduci, mox injun-  
xit Imperator, modum optimum proponere, ad cu-  
jus tenorem Scholæ, Gymnasia & Academiæ consti-  
tuerentur; ita ut juventus in his probe erudieretur  
tam in disciplinis ad rem nauticam, quam ad reli-  
quam militiam pertinentibus. Ostendere quoque  
debuit, qua ratione Monarcha instituendum cu-  
raret consilium Virorum Jurisprudentiæ, Matheos &  
Historiæ peritissimorum, quibus demandaretur, ut  
emendarent atque in linguam Ruthenicam transfer-  
rent libros utilissimos, translatosque typis imprimen-  
dos curarent. Eum in finem Imperator Bibliothecam  
publicam amplificavit, Musæa rarissimis muneri-  
bus locupletavit, & Typographiam perfici jussit.  
Huic Consiliario, dum in Germania commorabatur,  
demandatum etiam fuit, Constitutiones Regis Borussiae de-  
eri-

erigendo Collegio Medico sibi compararet, atque ad Archiatrum Imperatoris primarium, ARESKIN, transmitteret (*k*). Ex quibus constat, Heroëm hunc ac Patrem Patriæ etiam tunc temporis, dum castra seque-  
retur Martis, de Camenarum commodis promoven-  
dis fuisse sollicitum, exemplo suo Musarum & Bel-  
lonæ suave esse debere consortium, docens. Dein-  
ceps quum Imperator propositam a nominato Con-  
siliario methodum accurato perlustrasset oculo, ea-  
que, quæ necessaria judicavit, adjecisset, mox tria  
Gymnasia Moscuæ erigenda curavit, multosque eru-  
ditos nationis Rossicæ Monachos, qui in Polonia,  
Ukrania & Borussia studiorum absolverant cursum,  
Doctores in illis constituit. In primo trecenti, im-  
mo interdum quadringenti adfuerunt discipuli, Po-  
loni, Rossi & Ukraniæ incolarum filii, qui in  
diversas classes distributi in humanioribus præser-  
tim sollicite erudiuntur a Monachis, quos doctos  
omnino Viros esse, confirmat WEBERUS. Hanc  
palæstram quum Auctor proxime memoratus, dum  
Moscuæ degeret, invisit, audivit Gymnasiastam quen-  
dam *Knes* (Principem) in superiori classe Orationem  
plane egregiam habentem, more recepto anteja  
latino idiomate elaboratam, sed quæ civilitatum  
flosculis tota quanta, fuit referta. In altero Gy-  
mnasio omnes Matheeos partes proponuntur, illud-  
que septingenti frequentare solent Auditores, qui in  
tres classes pro ratione progressuum sunt divisi,  
disciplinamque servant rigidissimam, ut idem refert  
Auctor. Ludi Magistri omnes sunt Rossicæ natio-

nis, Supremus vero & linguae Ruthenicae optime peritus tunc temporis erat Anglus quidam, qui multos bene institutos juvenes ad munera navalia & militaria inde dimiserat, atque iussu Imperatoris centum miserat Petropolin ad Academiam sic dictam Maritimam nuperime institutam; quo munere adfatum meruit, ut a maximo Brabeuta Professor Publicus in dicta Academia constitutus fuerit. Juventus autem, quæ tertium frequentabat Gymnasium, in illis scientiis, quæ ad Navigationem pertinent, instituitur (*m*). Quum glorioissimæ memoriae Imperator PETRUS I. maximo navigationis amore captus, & Archangelopolin sæpe illus caufa esset profectus, ut rei tanti momenti cives plenam haurirent cognitionem, Academiam Maritimam An. 1716. Petropoli instituit, ubi 80 Juvenes nobiliores publicis impensis sustentantur. Decretum quoque fuit, ut familia quævis illustrior filium aut consanguineum quandam, annum quidem ætatis decimum egressum, at octodecim non supergressum, ad illam mitteret; quare flos veluti totius Nobilitatis ibi conspicitur. Erudiuntur autem in omnibus, quæ ad rem pertinent nauticam, disciplinis, atque in linguis peregrinis, arte gladiatoria aliisque corporis exercitiis ab inclytis Professoribus & optimis harum rerum peritis Magistris, atque exactam observant disciplinam (*n*). Hoc certe necessarium est, donec ipsi sentiant, *dulces esse ante omnia Musas*; quarum amore capti sibi ipsis egregie consulunt, dum in exercitus mittuntur & muneribus præficiuntur. Singulis æstatibus & quidem duabus

abus vicibus a Cronstadio Hamburgum duas emit-  
tuntur naves eum in finem, ut nobiles hi Navar-  
chæ in navigando fiant exercitatores & fluctuum  
atque tempestatum vim contemnere vel eludere di-  
scant (o). Jactis his fundamentis, editisque erudi-  
tionis speciminibus in classem, ut SubCenturiones, ab-  
legantur plerumque. Hinc Præfecti illi classium prode-  
unt, qui, necessitate urgente, se veros atque ingenuos  
Rossiæ esse filios, seque Patriam forriter ac strenue  
defendentes, munificentia Imperatorum dignos fuis-  
se, satis superque ostendunt. Instituendas quoque  
curavit Summus Monarcha Scholas quam plurimas,  
in quibus erudiuntur Juvenes, qui Artis Ballisticæ nec  
non Architecturæ militaris, quæ artem propugna-  
cula defendendi & oppugnandi tradit, notitiam de-  
siderant; qui, postquam suam probarunt industriam,  
ut Conductores & tormentorum Inspectores ad ex-  
erceitum inde discedunt (p). Tot præclaris institu-  
tis efficitur, ut milites eorumque duces indies eva-  
dant exercitatores, patriosque lares, furente Bello-  
na, acriter defendant. Quum Medicina ante Impe-  
ratoris nostri ætatem paucis in Rossia esset cognita,  
& Æsculapii filii, quotquot essent, in Aula com-  
morarentur; factum est, ut superstitione plebecula  
eximiam hanc artem ad Magiam referret. Enim-  
vero quum Imperator ipse Chirurgicas instituere  
operationes haud dèdignaretur, atque ita multos a  
pallidæ mortis faucibus ad sanitatem revocaret, ce-  
teri quoque mitius de Medicina & hujus cultoribus  
sentire cœperunt. Illius unicum solummodo addu-

cam exemplum. Quem ipse Monarcha malo dentium s<sup>e</sup>pissime laboraret, caussam illius modumque medendi sibi in primis familiarem reddidit, atque ut civibus utilitatem usumque artis sanandi ostenderet, ipse a plurimis, qui hoc torquebantur morbo, dentes male affectas evulsit, pro unaquaque quinque in initio persolvens Rublones; deinceps vero pluribus, quam speraverat, mercedem postulantibus, unum tantummodo Rublonem concessit. Multos præterea ab exteris in suum imperium introduxit Medicos, pharmacaque ipsis subministravit necessaria. Artem vero Medicam præ reliquis diligenter exculerunt BIDLOJUS, ASMES, KELLERMANNUS, BLUMENTROSTI, CARBONARIUS & ARESKIN, S. Gæsareæ Majestatis Archiatri. In primis vero celebratur BIDLOJUS, Batavus, qui in splendido Theatro Anatomico, præsente s<sup>e</sup>pius tota Aula, dislectionem corporum hominum, qui vel morbo vel vulnere occubuerant, instituit (*q*). Imperatoris curæ id quoque erit tribuendum, quod ab hoc tempore nec Aula nec exercitus nec maiores urbes peritissimos desiderent Medicos. Archiatrium primariumque suum Medicum constituit Præsidem Collegii Medici, ad cuius Jurisdictionem omnia Medicinam spectantia, Nosocomia Petropoli, Cronstadii aliisque forte in locis instituta, nec non Medici pertinent. Pharmacopolia denique Moscua<sup>z</sup> & Petropoli adornavit, quæ sive præstantissima, quæ in illis parantur, pharmaca consideremus, sive pretiosissima vasa Sinica, in quibus illa servantur, contemplemur,

plemur, curiosorum & attentionem & admiratio-  
nem omnino merentur. Porro ut commodior es-  
set litterarum cursus, civesque de rebus tam intra,  
quam extra Patriam gestis opportune erudierentur,  
An. 1718 *Tabellarios Ordinarios* per amplissimum  
imperium instituit, quibus duos præfecit Directores,  
alterum Petropoli, alterum Moscuæ habitantem.  
Quamvis etjam multæ Typographiæ jam ante  
ævum Imperatoris Nostri in Rossia exsisterint, ut  
*Ostrogie*, in qua urbe Biblia impressa sunt, quam-  
que comparavit Dux Ostrogenensis circa An. 1580;  
*Kiovie*, in Monasterio *Kuteniensis*, duobus milliaribus  
Novogardia distito; *Tschernigoviae*, ex quibus offi-  
ciniis plures prodierunt *Libri precum &c.* nec non  
*Moscuæ*, ubi Palatium Typographorum magnifice ex-  
structum plura præla continebat, celeberrimaque  
tunc temporis erant, ubi imprimebantur plurima  
eademque splendidissima opera, necessarios sumptus  
suppeditante munificentia Imperatoris; nihilo tamen  
minus hisce contentus non erat, sed potestatem fecit  
Bibliopolæ & Typographo Batavo, JOHANNI THE-  
SING, imprimendi libros Rossicos cujuscunque generis,  
eosdemque in ditionibus suis, certa quadam soluta  
pecuniæ summa vendendi; peculiari ipsi concesso XV  
annorum privilegio, cuius aliqualem copiam nobis  
facit Vir Summe reverendus NICOLAUS BERGIUS  
(r). Hoc factum est An. 1698. Quæ vero fata Ty-  
pographum hunc manserint, ibidem narratur. ELI-  
AS KOPIJEWIZ, S. Cæsareæ Majestatis indulgentia  
plures jam libros conscripsit, & An. 1698. Amstelo-

dami Typographiam ad excolendam linguam Slavonicam instituerat, quæ deinceps ad Academiam Scientiarum Berolinensem fuit translata. Quales de linguae istius cognitione extiterint contentiones, ex eodem Auctore colligi potest (s). Hoc itaque aero Typographiae per Rossicum imperium ad illud perfectionis culmen fuerunt perductæ, ut tam stylorum elegantia quam chartæ nitore valuerint, reliquisque per Europam Typographiis nihil plane cesserint. Observandum autem est, quod absque venia vel Imperatoris vel Patriarchæ nullus olim Liber typis evulgari potuerit; quare omnes nomina illorum adscripta habent, vetustiores quidem ad calcem libri, recentiores autem in frontispicio (t). In Moscuensi Typographia per accessionem Narvensis, omnis ferme generis & omnium Linguarum typi inveniebantur, Praefectusque ipsius, jam laudatus POLYCARPOV, diligentem librorum edendorum curam gessit; quos ejus solertiæ debemus, recentitos videas in *Act. Erudit.* (u). Egregium quoque fuit institutum Novellarum Politicarum bebdomadalium ab hoc Monarcha publica auctoritate confirmatum. Scribebantur autem primum idiomate Patrio, illisque non aliis intendebatur finis, quam ut vulgus quoque & sequior sexus relationibus rerum per orbem gestarum, illarum legendarum studio accenderetur, ideoque pro vili admodum pretio vendebantur. Hunc in finem Magnum illud *Lexicon Historicum* BUDDEI Pragæ a quatvor Monachis, Linguae Slavonicæ peritis, fuit translatum. PUFENDORFII quoque

quoque *Introductio in Historiam, Colloquia ERASMI ROTERODAMI, ARNDTI Verus Christianismus, Orbis Pictus*, ut alios libros siccō prætereamus pede, in Ruthenica jam tum legebantur lingua (w). Magna omnino hæc esse & grandibus etiam Colossis digna, ingenuus quisque fatebitur, sed Heroi tamen Nostro, qui a supremo Numine destinatus videratur, ut felicia per suum imperium sæcula reduceret, non sufficiebant; quippe qui longe adhuc excelsiora animo suo diu volverat. Quisque facile intelligit, quod indigitemus Academiam Scientiarum Petropolitanam, decus illud atque ornementum imperii Rossici. In peregrinatione enim sua sermones contulit cum Viris, eruditio[n]is fama in[cl]yta, in primis cum illustri LEIBNITIO, quem præ aliis maximi fecit, illosque variis de rebus, ad florem Litterarum per Rossiam promovendum facientibus, consuluit; mox quoque redux in Patriam factus, prima jecit fundamenta Academiæ modo memoratae & quidem ad exemplum illius, quæ Parisiis florebat. Hæc illud est repagulum, quod barbarie, ne iterum forte ingravescat, opponi potest, & præsidium Litterarum in Patria carissima tutissimum. Directorem, ut dici sivevit, illius quidem nominavit DEMETRIUM CANTEMIRUM, Principem Moldaviae, & tam propter libros, quos ipse consignaverat, utilissimos, quam ob diversarum linguarum peritiam, valde celebrem; qui vero fatis circumventus huic muneri non diu præfuit (x). Statim ac decretum hoc de erienda Scientiarum Academia

mia ab Imperatore An. 1724 approbatum, propriaque Ipsius manu subscriptum esset, mox ab Exteris Professores & Membra Academiæ in Rossiam evocabantur. Neque ullum hujus Academiæ honorificentius aut de utilitate ejusdem certius testimonium produci posse opinatur Vir Celeb. GOLDBACHIUS, quam quod Magni PETRI auctoritate partim in Germania, partim in Gallia, partim etjam in Italia tam solicite tamque constanter, tantisque præmiis propositis, Viri, qui his muneribus ornandis pares credebantur, conquisi si sunt (q). At quam fluxa & eaduca sint omnia hominum, etjam quum maxima videntur, haec iterum occasione constituit. Dum enim Camæ Rossicæ felicem sibi successum impense gratulantur, dumque Parcas implorarent, ut talia sæcula suis fusis sibi perpetuo nerent, inexorabilis Atropos filum vitæ Maximi Imperatoris PETRI abrumpit, & civium suorum Statorem ex hac vita discedere jubet. Ad tantum casum attonitæ aliquamdiu hæserunt Musæ, timentes, ne in pristinum & horrendum barbariei squalorem prolaberentur, totumque augustum opus, quod suscepérat, mole sua corrueret, dum Augustissima Ejus Conjux CATHARINA, & tanto Marito & vacuo folio dignissima Imperatrix, Litteris gratissimum præberet præsidium, Eruditosque, qui in via constiterant, scriptis epistolis ad se vocaret, stipendiaque & privilegia illis promissa confirmaret. De hac vero re alia dicimus occasione; nunc autem officia Academicorum breviter exponemus. Diximus supra, Academiam

hanc

hanc ad exemplum Parisinæ fuisse institutam. Professores illius in tres divisi sunt classes, quarum prima Mathelin, secunda Physicam, tertia denique humaniora profitetur. Quilibet Professorum quotidie una hora eam scientiam, quam in deliciis habet, publice docere, & in illa duos Juvenes Nobiles, suæ curæ commissios, fideliter instituere tenetur. Crebra quoque experimenta ad perficiendas scientias instituere, novas eruere veritates, deque argumentis gravissimis Tractatus solide conscriptos, immo & integra opera in lucem emittere, atque in scientia arteque sua, quicquid injungatur, scribere illis incumbit. Ante omnia vero Disciplinæ suæ epitomen edere debent, ut Discipuli eo melius ad altiores altioresque cognitionis gradus perveniant. Præter ordinarios Academiæ Professores, qui præsentes erunt, magnus etiam est numerus eorum, qui Membra Honoraria salutantur, quibus optio est, quid scribere & Aëris Academiæ inserere velint. Illi autem, qui stipendia ab Academiæ ærario quotannis accipiunt, litteras ad illam mittere, inventa sua nova cum illa communicare, judiciumque de quæstionibus sibi propositis ferre debent. Adjuncti pariter, quin & Studiosi nonnulli, quorum ingenia multum pollicentur, salario gaudent sufficiente, & sub inspectione Professorum in scientiis majores indies progressus facere & deinceps ad Academiam promoveri possunt. Antea vero requiritur, ut vel in Gymnasio publice doceant, vel ad Bibliothecam, Artiumve Academiam pensa absolvant, vel denique

varios libros & tractatus in vernaculam transferant  
 linguam. Huic Academiæ non sine optimo consilio  
 adjunctum est Gymnasium, in quo Juventus in lin-  
 guis præsertim, in scribendo, Arithmeticæ, primis-  
 que scientiarum fundamentis, in Historia quoque,  
 Geographia, Geometria, Logica & Oratoria, nec  
 non in arte delineatoria, choreisque ducendis pu-  
 blicis sumtibus instituitur. Singulis Discipulis inte-  
 grum est, illud pro libitu frequentare, & ad nihil  
 aliud, quam ad ordinem introductamque disciplinam  
 servandam obligantur, immo dum Ludi Magistris  
 id antea indicarunt, quando ipsis placuerit, possunt  
 his exercitiis valedicere. A classibus superioribus  
 Studiosi ad lectiones sublimiores in Collegiis Acade-  
 micis promoventur, ut exactam ejus Scientiæ, cui  
 sudorem & studium suum devoverunt, institutionem  
 a Professoribus consequantur (z). Coronidis loco  
 nonnulla momenta adhuc adducere juvat, quibus  
 Augustissimus Monarcha PETRUS I. studia Littera-  
 rum in imperio suo promovit. Scilicet An. 1714.  
 Bibliothecam Publicam nec non Artium Cameram in-  
 stituit, quæ Academiæ Scientiarum An. 1724 ad-  
 jungebantur, librorumque horum Præfectum con-  
 stituit IOH. DAN. SCHUMAKER. A parvis admo-  
 dum initiis utraque supellex ad tantum fastigium  
 brevi admodum tempore crevit, ut si non multitudine  
 cimeliorum, certe eorundem raritate, cete-  
 ris per orbem institutis paribus palmam reddat du-  
 biam (aa). Hujus quoque auctoritati erit adscri-  
 bendum, ut, quim Sacerdotes ante hoc ævum ra-  
 rius

rius coneiones publicas haberent, nunc sermones sacri & coram populi corona habeantur & typis nonnunquam evulgentur (bb). Hac ratione id intendit, ut S. Ordini adscripti ignorantiam exuerent atque munera sua sollicite obirent, nec, quicquid in buccam veniret, effutirent. Amplificavit quoque Idem Monarcha Codicem illum Legum, cuius §. V. mentionem fecimus, atque non solum articulos castrenses militibus, sed etjam optima instituta & egregias instructiones Membris omnium Statuum & Collegiorum præscripsit; quæ statuta Augustissimi Ejus Successores sancte servarunt, nec latè unguem ab eorundem tenore recesserunt (cc). Quantum denique Hic PATER PATRIÆ Geographiæ limites eo extenderit, quod partem illam Rossiae orientalem, ante vix nomine tenus cognitam, exactè delineatam Q. bis Eruditi oculis subjecerit, tam Duces Classis, quam Mathematicos Kamtschatkam mittendo, ut terram hanc describerent, situmque Americæ Septentrionalis explorarent, neminem fugere existimamus (dd). Enimvero hic filum narrationis nostræ paullisper abrumperem cogimur, ceteras hujus opellæ partes, si vires vitamque nobis largiatur Supremum Numen atque occasio permittat, propediem eo studio, quod natalis soli amor postulat intensissimum, persecuturi.

- (a) Vid. v. HAVEN Loc. cit. Tom. I. p. m. 7. (b). Confr. Das Veranderete Russland p. m. 150. (c). Vid. Libr. modo cit. p. m. II. (d). Conf. MOLLERI Fata Dirpatip. m. 85. (e). Cfr. Acta Erud. a. 1705 p. 383. (f) Vid. Ejusd. Consip. Reipubl. Lit. edit. uit. p. 194. (g) Cfr. Acta Erud. loc. cit. (h). Vid. Acta Erud. ejusd. Anni p. 240. (i). Confer. sis KOHLLI introd. jam cit. recensit. in Actis Erudit. An. 1729 p. 513. (k). Vid. v. HAVEN Libr. cit. qui vitam ipsius Tom. I. p. 252. seq. nobis conservavit. (l). Vid. Libr. cit. p. 136. (m). Vid. Das Veranderete Russland p. m. 135. seq. (n). Confr. Libr. cit. p. m. 221. seq. (o). Hoc nobis aperit v. HAVEN Libr. cit. p. m. 76 seq. (p). Confr. Libr. proxime cit. loc. cit. (q). Vid. Acta Erudit. An. 1705. loc. cit. (r). Vid. Ejusdem Diss. supra cit. p. 156. (s). Vid. Diss. modo cit. p. 151. ubi etiam sententiam aperit suam de TALANDRO, qui unicam tantummodo in toto impetio esse Typographiam, adfirmare non dubitat. (t). Vid. Diss. proxime cit. p. 155. (u). Vid. Acta Erud. An. 1705 p. 384. (v). Confr. Das Veranderete Russland p. m. 223 D: libris, quibus Rossi in templis suis utuntur, nec non de Ecclesia Patribus, qui in lingua ipsorum sunt translati, optime agit BERGIUS Diss. cit. Part. I. Cap. X & XI. (w). Vid. Diss. modo cit. p. 265. (x). Cfr. HEUMANNI Consip. Reipubl. Litter. Cap. IV. p. m. 230 seq. n. r. i., ubi & librorum, ab ipso scriptorum mentionem facit. Diemobilit supremum An. 1723 die 24. Aug. (y). Vid. Praefat. Comment. Academ. Petropol. Tom. I. præfix. (z) Confr. Historiam ab ipsa Academia consignatam, quam nobis exhibet v. HAVEN in Libr. cit. Cap. de Scientiis. (aa). De incrementis illarum videoas Locum proxime cit. (bb). Confr. Sermonem funebrem Archi Episcopi Novogardenensis in funus Imperatoris gl. mem. PETRI I. vers. Svec. (cc). Vid. v. HAVEN Libr. cit. Tom. II. p. m. 252. seq. (dd). De hac ipsa expeditione legi potest v. HAVEN Loc. cit. Tom. II. p. m. 19. seqq. nec non Sammlung Russischer Geschichts des dritten Bandes, I. 2, & 3. tes Stuck.

